

1439 sidio retentis, apparebat naves, quæ Turbulis essent, quæque postea erant futuræ, ab omni hostium injuria servatum iri.

Dum igitur classis instruitur, & Athesis derivatio, mutato consilio, intermittitur, statuit Sforcia commeatum Brixienfibus per montes importare. Contracta igitur frumenti vi ad Turbulas & Penetram ingenti, confusus fore, ut prece aut precio montanos regulos deliniret, aut si minus id procederet, vi & armis locorum difficultatem superaret, cum tribus equitum millibus, & peditibus circiter mille ex omni numero lectis, Penetra profectus, ad Thenium quingentos ab oppido passus confedit. Curaverat ad hæc machinas aliquot comportandas, quibus (si ita opus fuisset) in oppidorum oppugnatione uteretur. Sed dum ille ad Thenium sedet, Philippi duces, qui, consilio hostium antea explorato, ad Ripam concesserant, Ludroniam vallem tumultuario milite infederant: qua occupata, cum peditibus octingentis & trecentis equitibus Picininus cum Severinate ad Thenii saltum insidendum relictis, qui occupata loca præsidio tenebant, citato agmine retro moverant. Insinuarant se interim ad caput lacus, qui in ea valle est, Martianus & Joannes Comes cum toto equitatu, tacitique in hostium adventum se ibi tenere. Ubi vero eo Picininus & alii venere, Venetis in illos coortis, subitum est prælium commissum. Quo accensi Martianorum animi, certamine semel injecto, non solum per diem hostem distinuere, sed sub noctem etiam: & quia lux paulo post erat defutura, proximis domibus incensis, ad id lumen pugnam tam diu distraxere, ut fessus Picininus sensim prælio excedere cœperit: in quem pedem referentem tantus a Veneto milite jam spei pleno factus est impetus, ut continuo in fugam versus, toto equitatu ac peditum robore amisso, præcipiti cursu ad Ponalis juga (quæ Benaci undis eminent) delatus, a Teutonico (quem penes se ad hos usus habere solebat) per abrupta montium agre sit servatus. Ubi vero ad subjectas lacus undas est ventum,

*Picininus
in Ludro-
nia valle
nocturno
prælio su-
peratus.*